

sequeretur, Cæsareanorum ducibus constabat. Is humanarum calamitatum impatiens, cum Hispanis novas accessisse vires, foederatorum copias Roma procul profectas animadverteret, licet a Cæsaris ducibus indigna, atque intoleranda peterentur, & crebro a foederatis urgeretur, ne festinato consilio feliciores eventus interturbaret, nihil se recusaturum præseferbat. Itaque cum Prorege, qui Romam venerat, in has conditiones pepigit: nempe, ut *quadringenta aureorum millia Cæsareanis militibus persolveret: Hadriani, Hostiæ, Centumcellarum, & Tiberini arces Cæsari dederet: ad hæc Pærmæ, & Placentiæ urbes relinqueret. His peractis, nondum libertate potiretur, sed Cajetam perduceretur, ibi Cæsaris sententiam de concordie pactioibus præstolaturus, quid de illo, & Cardinalibus, atque aliis, qui arce detinebantur decerneret.* Statimque Bartholomæus Gatina-
ra, & Ludovicus Lodronius a Prorege delecti, qui cum Juliano Zeno, cui id munus a Pontifice mandatum fuerat, prius commeatus fide a Florentinis impetrata, in Galliam Cisalpinam proficiscerentur, ut Parmam, ac Placentiam Cæsareanorum potestati permitterent. Hoc Clementis consilium licet prius mente prævideretur, haud parum foederatorum, & Veneto-
rum præsertim animis molestiæ iniecit, quod Cæsaris vires augeri, atque de eo conceptam opinionem incrementa sumere cognoscerent, cujus animus abditus, & multis recessuum ambagibus obtectus ægre perspicui poterat; cum nonnunquam ad pacem propensus non modo, verum etiam accensus videretur, aliquando iniquas adeo illius ineundæ rationes objiciebat, ut aver-
sus omnino a concordie studio videretur, atque homines non vulgaris prudentiæ existimarent, eo illius consilia spectare, ut moras necendo Gallorum ardorem restingueret, atque foederatos belli tædio conficeret. Verum Senatus, immutato Clementis animo, nihil de vetere instituto immutavit, sed eo acrius insistendum putavit, quo Pontificis res vehementiori procellarum turbine quassari animadverterat; cum præcipue vel necessitate adactum, vel timore perterritum, ac de incolumitate sollicitum sua, iniquiores pacis conditiones amplexum fuisse intelligeret; id fortassis eventurum rati, ut & illum facti tæderet, & felicior fortuna aliquando votis aspiraret, Senatus itaque consulitur, ut ne quid, illo adhuc capi-

1527

*Clementis
cum Hispani-
is conjun-
ctio.*

*Clemens
Juliano
Zeno man-
dat ut Parmam, &
Placentiam
Cæsareanis
permittat.*

*Veneti, ne
Pærmæ &
Placentiam
in Cæsareanorum
potestatem con-
cederent, ni-
tuntur.*

pti-